

612.

XIV. Probatà hactenus existentia harum aquarum, in sequentibus erimus breviores. Descriptio aquarum supra-coelestium talis esse possit secundum Sperlingium p. m. *Aqua supra-coelestis est corpus naturale simplex coelum undiq; ambiens, ex prima aquarum divisione (ad gloriam DEI & integritatem universi p. 479.) pronatum.* Hæc partim ex præcedentibus perspicua, partim ab aliis explicata, partim in sequentibus explicanda venit.

XV. *Corpus* quidem *naturale* est, quia ejusdem cum subcoelesti speciei. *Simplex* dicitur ob materiam aquæ simplicem. *Differentia* accidentalis partim à loco, quem supra coelum sortita est, partim *ab origine*, nim. prima aquarum divisione, partim deniq; à *sine* desumitur.

XVI. Finem tantum hic novimus *ultimum & universalem*, non *proprium* vel *particularem*. Ille est laudare DEUM, ut patet ex Psal. 148. & Cant. 3. puer. nec non integrare universum, quia DEUS & natura nihil solent frustra facere.

XVII. ~~Frusta~~ vero omnes ii sunt, qui finem specialem earundem ex suo cerebro definire satagunt. Hinc nec *Henrici Nollii* acumen magnopere laudandum erit, qui l. 2. c. 2. *Physicæ suæ Hermeticæ aquas supra coelestes* (quarum naturam ille p. 133. seq. non aliter delineat, ac si supra easdem abreptus eandem explorasset) in mirum usum datos esse scribit p. 134. *It. quod cuicumq; rationali creaturæ, aqua supercoelestes in potum cedant, omnium rerum tam superiorum, quam inferiorum perfectam cognitionem adipiscatur.* p. 137. ubi etiam vult iisdem *Esdras* esse potum, idq; ex ejusd. l. 4. c. 14. v. 39. seqq.